



Dissemtationes hoc volumine contentae.

1. Geminae quaestiones in iure publico et in iure privato  
quas praesit Petro Leopoldo. J. V. D. examinandas proposuit  
Andr. Petrus Wolffm. Regiomont. Franc. Jenae.
2. Juris aliquot emendata, quas praesit Heinrico Bocero Jr.  
pro Doctoratibus in utroque Iuris iuris publicis et  
privatis subiecit Georgio Wolfgang Hilbornmann, Neuw.  
Gurg-Palating Tubingae.
3. Positiones Juris publici quas publice discutendas proposuit,  
Christophory Treibisig J. V. D. Resp. Conrado Casp. Bovio,  
Witteberg. Lipsiae.
4. Dissertatio ad tit. 5. et 6. libri 2. ff. quam praesit Christophoro  
Bosoldo Jr. discutendam proposuit Burkhardus Ehinger  
Tubingae.
5. Diss. de Jure Naturae praesit Johanne Gypsiandro J. V. D.  
defensa a Georgio von Broy, Akenburg. Tuberae Fr. Jenae.
6. Diss. de necessitate defensionis praesit Heinrico Bocero Jr. pro  
posita a Daniele Rantow. Tubingae.
7. Conclusiones de Jurisdictione quas eodem praesit Dominico  
Wrogg in iure insignium sequendum causa publicis censuras  
subiecit Johannes Georgii Halbitter. libid.
8. Assertionem legales de transactione quas praesit Petro Theo.  
dovico. J. V. D. pro gradu Doctoratus in utroque iure sequendo  
discutendas proposuit M. Georgio dist. Lips. Jenae.
9. Diss. de transactionibus praesit Johanne Harprehto Jr.  
pro summo in utroque iure gradu sequendo publicis examini  
submissa a Georgio Langen. Homb. Tubingae.



<sup>MA</sup>  
Positionum  
EX UTILI ET FRUCTUOSA  
ususfructûs materiâ decerptarum,  
DECADES DVÆ.

Q U A S

*Adiuvante divinâ Maiestate*

APPROBANTE AMPLISSIMO Jctor.  
in Illustri Acad. Tubing. Collegio.

S U B P R Æ S I D I O

M A G N I Jcti.

D N. H E N -  
R I C I B O C E R I,  
A N T E C E S S O R I S H U I U S  
V N I V E R S I T A T I S C E L E B E R R I M I, P L A -  
citorumq; feudalium & criminalium sanctionum Professoris emi-  
nentissimi, p. t. Decani Spectatissimi, Consiliarij VVür-  
tembergici, & Assessoris in supremo Dica-  
sterio fidelissimi.

*Publici exercitij gratiâ ventilandas  
proponit*

Christophorus Lebtzelte-  
rus, Auctor & Respond.

*Ad diem XII. Maii in Auditorio Jctor.*

OS SO

T V B I N G A E,

Typis Theodorici VVerlini,

ANNO MDCXV.



*[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like 'EX LIBRIS' and 'BIBLIOTHECA']*





I.

Σὺν Θεῷ.

DE VSV FRV-  
CTU.

THESIS I.



INTER res incorporales potissimæ sunt servi-  
tutes. Servitus autem est jus in re alienâ servien-  
te constitutum. Estq; vel personalis, quâ personæ  
res aliena servit; vel Realis, quâ prædium prædio  
alieno servit: quæ iterum duplex est, Urbana,  
quæ à prædio alieno debetur prædio nostro ur-  
bano; & rustica, quæ à prædio alieno debetur no-  
stro prædio rustico: Verùm ommissis cæteris, de unicâ duntaxat ser-  
vitutis personalis specie, nempe de usufructu præsens nostra *Ag-*  
*riculis* erit.

II.

Est autem usufructus jus (a) alienis rebus (b) utendi fruendi  
salvâ rerum substantiâ. (c)

a) l. 1. ff. de usufruct. in princ. Inst. eod. (b) Res enim sua nemini ser-  
vit. l. uti frui. 5. ff. si usus fr. pet. l. in re. 26. ff. de servit. præd. urban. Vnde fa-  
cile corrui communis illa Dd. distinctio quâ usumfructum in causalem  
& formalem dispertiunt, ut cunq; novissimè eam multis legibus & auto-  
ritatibus fulcire conetur Joh. del Castillo Sotomayor part. 1. tract. contro-  
vers. iur. quotid. c. 1. nu. 6. & multis seqq. (c) Hinc res quæ ipso usu consu-  
muntur, neque naturali ratione, neq; civili, recipiunt usumfructum: u-  
tilitatis tamen causâ Senatus & harum rerum non quidem usumfru-  
ctum, sed per cautionem quasi usumfructum constituit. §. constituitur  
Inst. h. t. l. 1. & t. t. de usufruct. ear. rer. quæ usu consum.

III.

Consistit verus usufructus in omnibus rebus corporalibus,  
(a) tam mobilibus, quàm immobilibus: dummodò habeant ali-  
quam utilitatem, (b) nec usu consumantur. (c) Hinc de vestimen-  
tis ambigitur: An verus eorum possit constitui usufructus, an ve-  
rò quasi tantum? Vtrumq; putamus. (d)

a) per princ. Instit. h. tit. l. 2. ff. eod. (b) l. quoties 15. de servit. l. 2. §. 1. l.

A 2

usufructu



usufructu 7. in princ. l. nomismatum 28. l. statua 4. de usufruct. Non ergo admittenda cuiquam videri posset glossa, dum in fundo etiam sterili usufructum constitui posse existimat. in §. constituitur verb. in fundo Instit. h. tit. ut videtur Johan. del Castillo Sotomayor d. part. 1. tract. controvers. iur. quotid. c. 49. nu. 7. (c) per fundamenta adducta in th. preced. ad lit. c. (d) argu. d. §. constituitur Instit. h. tit. & l. sed si quid 15. §. Et si vestimentorum 4. ff. eod. l. 9. §. pen. usufruct. quem admod. cav.

## I V.

Constituitur usufructus, vel legis auctoritate, (a) vel facto hominis, puta Iudicis, (b) & Domini. (c)

a) Ut Patri in bonis Filiisfam. adventitiis, §. 1. Instit. per quas pers. cuiq. acquir. l. cum oportet 6. in princ. vers. si quis itaq. C. de bon. qua. lib. Itemq. in bonis liberorum emancipatorum pro dimidia. §. Hoc quoque à nobis. 2. vers. Ideoq. statuimus Instit. per quas person. cuiq. acquir. Sicut & mulieri, superstibus ex priori matrimonio liberis ad secunda vota transeunti in bonis, qua. titulo lucrativo à marito defuncto, aut successione liberorū prioris matrimony assecuta fuit. l. femina 3. & Auth. seq. C. de secund. nupt. (b) Ut si in iudiciis divisoris Familiae erciscunda & communi dividundo, uni proprietatem & alteri usufructum adiudicet. l. usufructus 6. §. 1. de usufruct. l. si quis putans. 6. §. officio iudicis pen. ff. com. divid. l. & puto 16. §. 1. ff. famil. erciscund. (c) Idq. dupliciter, vel inter vivos, puta pactionibus & stipulationibus, vel ultimā voluntate, veluti testamento, & Codicillis l. 3. in princ. ff. h. t. §. 1. Inst. eod.

## V.

Illud certum est, interdum sub nomine usufructus, plenam proprietatem à testatore relictam censerit: (a) Quod an etiam tum obtineat, si legatus sit usufructus domūs adjecto onere ne aliū tollatur, magnus est Dd. conflictus. Et sanè communis affirmantium opinio probabilis videtur. (b)

a) Puta si testator cibarij & vestiarij nomine prædium alicui dare velit, arg. l. Libertis 4. ff. de Aliment. & cib. leg. Cæpol. de servit. præd. urb. c. 4. nu. 4. Item si legatus sit usufructus alicuius rei, quam post mortem suam rogatus sit legatarius aly quam heredi restituere, argum. l. ult. ff. de usufruct. ear. rer. qua. usu consum. l. filios 39. ff. de usufruct. legat. l. species 15. de aur. & argent. legat. (b) l. Proculus 19. in princ. ff. h. tit. l. 1. ff. commun. præd. Quam sententiam novissimè quoq. amplectitur, eandemq. satis corroborat contra Pinelum Johan. del Castillo Sotomayor dict. part. 1. tractat. controvers. iur. quotid. c. 30. n. 25. & seqq.

Quid



## V I.

Quid verò, si testator alicui reliquerit prædii usufructum adjectâ conditione, *ne alienetur*? Et solum usufructum hoc casu relictum esse, intrepidè statuimus.

*Non enim debet admitti voluntatis quæstio, quando in verbis nulla ambiguitas est. l. ille aut ille 25. ff. de legat. 3. Nec aliter à significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem. l. non aliter 69. ff. eod. Igitur supervacanea potius censenda erit illa adiectio, quam ut legatum proprietatis contra voluntatem testatoris inducat. Et quidem ea conditione non adiectâ futurum erat, ut usufructuarius alienare non posset, ut in simili loquitur Proculus in l. Cornelius 69. ff. de hered. institut. Attamen non est novum ut prohibitioni legis accedat prohibitio testatoris, nec tamen aliquid novi operetur. arg. Novell. 120. c. 9. in princ. Johan. del Castillo Sotomayor d. part. 1. tract. controuv. iur. quotid. c. 30. nu. 33. & seqq.*

## V I I.

Quid igitur ex diverso, si alienandi facultatem concesserit, qui fundi usufructum alicui constituit? Adhuc idem haut improbabiler defendi posse putamus, usufructum duntaxat relictum esse.

*Non enim faciles præsumuntur defunctorum voluntates in onerandis hæredibus. l. unum ex familia. 67. §. si rem tuam ff. de legat. 2. Nec utiq; ridiculum est dicere, rei alienandæ facultatem alicui concessam esse, cui tamen relicta non sit proprietas, ut putat Johan. del Castillo. d. part. 1. tractat. controvers. iur. quotid. cap. 30. num. 49. cum proprietas non sit necessarium antecedens alienationis, nec ita dominij seu proprietatis proprium ius alienatio, ut Domino uni soli & semper competat, quemadmodum ex §. 1. Instit. quib. alien. lic. vel non. l. non est novum 46. de acquir. rer. dom. evincit Clariss. Dominus D. Johan. Harpprecht: Præceptor observandus ad §. tam autem corporales. 21. num. 46. Institut. de Legat. & ibid. num. 43. 44. 45. pluribus prædictam sententiam confirmat.*

## V I I I.

Quamvis autem reales servitutes, neque ex tempore, neque ad tempus, neq; sub conditione constitui possint, (a) attamen his modis omnibus usufructum rectè constitui posse juris arguit auctoritas. (b)



a) l. 4. de servitut. (b) l. 4. l. sub conditione 54. de usufruct. l. & pu-  
ro 16. §. ususfructus. 2. ff. Famil. eriscund. l. si sub conditione 16. ff. quib. mo-  
dis ususfruct. amitt. Rationem diversitatis ex Cuiacio adducit Jo-  
han. del Castillo Sotomayor, d. part. 1. tractat. controvers. iur. quotid. cap.  
11. nu. 17. 18.

## I X.

Cæterum ut usufructuarius usumfructum sibi aliquo præ-  
dictorum modorum constitutum, consequi possit, necessum est, ut  
ei (a) ad quem finitus ususfructus reversurus est, caveat, (b) se boni  
viri arbitratu re usufructuariâ usum fructurum, & finito usu-  
fructu, quod inde extabit, (c) restitutum.

a) Nempe proprietario §. ult. Instit. de usufruct. Et si plures sint, u-  
nicuique pro sua parte. l. si cuius 13. §. 1. de usufr. l. si ususfructus. 9. §. ult. ff. u-  
suf. quemad. cav. Quod si alicui sub conditione proprietas legata sit, &  
huic & heredi usufructuarius cavere debet, l. si tibi ususfructus 8. ff. d. t.  
(b) Non enim prius efficax datur actio usufructuario, quam hanc cau-  
tionem præstiterit. l. si cuius 13. in princ. de usufruct. facit. l. Julianus 13. §.  
offerri ff. de actionib. empt. Quin & rem traditam ususfructus no-  
mine vindicare potest proprietarius, si cautum non fuerit. l. etsi usufru-  
ctus 7. ff. usufruct. quemad. cav. (c) non ipsam rem l. 1. §. ult. ff. eod. (d) l. 1.  
in princ. ff. d. tit.

## X.

Hanc tamen cautionem in nonnullis casibus remittendam  
esse, evidens est: (a) facile ut appareat, non esse eam de substantiâ  
ususfructus. (b) Quod num & de illâ cautione, quæ requiritur in  
quasi usufructu, dici debeat, controversatur. Nos idem asseren-  
dum censemus. (c)

a) Ut si ex die proprietas alicui legata sit, ususfructus pure. l. si u-  
susfructus. 9. §. planè ff. usufruct. quemad. cav. Sic & Patri, qui habet u-  
sumfructum in bonis adventitiis liberorum, remittitur satisfactio fru-  
ctuariâ. l. cum oportet 6. §. non autem. C. de bon. quæ lib. clariss. Dn. D. Bo-  
cer. Præses & Præcept. colendus class. 5. disp. 9. thes. 29. edit. 2. (b) Andr.  
Gail. 2. observat. 46. nu. 1. & seqq. alioquin nullo casu remitti posset Jo-  
han. del Castillo Sotomayor part. 1. tractat. controvers. iur. quot. cap. 16. num. 8.  
(c) argum l. hoc Senatusconsultum 5. §. 1. ff. de usufruct. ear. rer. quæ usu  
consum. Clariss. Dn. D. Bocer. Præses & Præceptor observandus class. 5.  
disput. 9. thes. 70. Fachin. lib. 8. controvers. cap. 43. Johan. del Castillo Soto-  
mayor d. loco. nu. 26. & seqq.

Hinc



## De Usufructu.

5

### X I.

Hinc dubitatur: An prædicta cautio à testatore remitti possit? Et quidem à proprietario vel herede, (a) non verò à testatore (b) eam remitti posse, firmiter concludimus.

a) In eorum enim favorem hæc cautio tendit, nec fraus eis fit, si ius suum deminuant, ut in simili loquitur Paulus §C. in l. potest heres 71. ff. ad L. Falcid. cum sit, & iuris antiqui regula, omnes licentiam habere his, quæ pro se introducta sunt, renunciare l. penult. C. de pact. l. si quis in conscribendo. 50. C. de Episcop. & Cleric. (b) l. scire debetis 7. C. ut in poss. legat. l. 1. C. de usufruct. Bart. in l. nemo potest. ff. de legat. 1. Jul. Clar. in §. testamentum quæst. 64. nu. 1. Eiusq; non est illa ratio, quam communiter assignant Dd. ex l. illud. 5. ff. de pact. dotal. ne scilicet per eiusmodi remissionem usufructuario detur occasio delinquendi (sic enim nec à proprietario vel herede remitti posset) sed potius hæc, quia aliàs testator contraria voluisse videretur, dum alicui manifesto usumfructum duntaxat relinquere, eidemq; nihilominus per remissionem cautionis licentiam, re ad libitum utendi & etiam abutendi concedere voluit. Vide Johan. del Castillo Sotomayor part. 1. tractat. controvers. iur. quotid. cap. 15. num. 30.

### X I I.

De eo etiam non est concors Dd. sententia: An usufructuarius possidens rem fructuariam fructus suos faciat ante præstitam cautionem? Quod affirmandum putamus.

Nam 1. hæc cautio non est de substantiâ ususfructus, per rationes adductas in thes. 10. liter. a. & b. 2. Usufructuarius non tenetur offerre hanc cautionem, sed exactam demum & petitam præstare argum. l. 2. §. quod ait prætor. ff. Quor. legat. l. 1. §. non exigit prætor. ff. ut in possess. legat. l. si quis filium. §. stipulatio ff. de collat. bonor. Proinde, si præstet ea, quæ præstare tenetur, nulla est ratio, cur eum commodo ususfructus carere debere dicamus, modo tamen non vitiose, i. e. ignorante proprietario, aut clam & malâ fide possessionem adeptus sit, ut pluribus declarant Dd. quos refert & sequitur Johan. del Cast. d. p. 1. tract. controvers. iur. quotid. c. 16. nu. 9. & seqq.

### X I I I.

Post constitutum & acquisitum usumfructum, omnis quidem fructus rei ad fructuarium pertinet, (a) attamen ex naturali ratione, (b) & onera quædam ipsi incumbunt. (c)

a) l. Usufructus



a) *l. usufructu 7. in princ. l. item si fundi 9. in princ. §. 1. & §§. seqq. l. arbores 59. l. usumfructum 62. ff. de usufruct.* Unde cum thesaurus non sit in fructu *l. fructus 7. §. si fundum 12. vers. non magis ff. solut. matrimon.* consequens est, thesauri in fundo fructuario inventi partem dimidiam non pertinere ad usufructuarium, sed proprietario attribuendam, nisi scilicet ab ipso usufructuario non data opera, sed fortuito sit repertus, iuxta *§. thesauros 39. Instit. de rer. divis. l. is qui in aliena 61. de acquir. rer. dom. (b) l. secundum naturam 10. de R. 7. (c) Debet enim generaliter id omne facere, quod diligens paterfamilias in sua re faceret, l. sed cum fructuarius 65. ff. de usufruct. omnemque rei curam suscipere, ac custodiam prestare l. 1. in fin. & l. seq. ff. usufruct. quemad. cau.*

## XIV.

Hinc maxime controversa oritur quaestio: An usufructuarius jus suum quod habet, extraneo vendere, aut locare, aut gratis, concedere possit? Quod affirmamus.

*Per text. rotundum. in §. minus autem iuris Instit. de usu & habitat. l. arboribus 12. §. usufructuarius l. non utitur 38. l. cui usufructus 67. de usufruct. l. in venditionem 8. ff. de reb. autor. iud. poss. l. si is qui bona. 11. §. usufructus. vers. nam & cum emptorem. ff. de pignor. & hypothec. ita tamen ut hac alienatione hautquaquam novus constituatur usufructus, sed nihilominus ex persona alienantis finiatur l. necessario 8. §. fin. ff. de pericul. & commod. rei vendit. Neque enim extraneo cedi potest, §. finitur. 3. vers. Item finitur. Instit. de usufruct. l. si usufructus 66. de iure dot. id est, ita abdicari, ab usufructuario, & transferri in alium, ut ex huius non vero alienantis persona metiendus sit. Rationem affert Vvesenbec. in d. §. finitur. nu. 7. quem ferè sequitur Joan. del. Cast. Sotom. part. 1. tract. controu. iur. quotid. c. 69. nu. 19.*

## XV.

Similiter haut levis est concertatio. An usufructuarius in locatione usufructus proprietarium, si paratus sit eandem mercedem dare, reliquis conducere volentibus praeferrí debeat? Et rejecta communi affirmantium opinione, negativam defendendam suscipiemus.

*argum. l. arboribus 12. §. usufructuarius. l. cui usufructus 67. de usufruct. iunct. l. dudum 14. C. de contrahend. empt. & l. ne cui liceat 32. C. de Locat. & conduct. In quam sententiam novissime inclinatur Johan. del. Castillo Sotom. part. 1. tract. controu. iur. quotid. c. 74. n. 5. & seqq. Clariss.*

Dn. D.



## De Usufructu.

7

*Dn. D. Harpprecht. Præcept. observand. ad §. constituitur 2. Inst. de usufr. nu. 53. & seqq.*

### XVI.

Tenetur etiam usufructuarius ad onera & expensas, quæ ratione possessionis, vel fructuum solvuntur, puta ad collectas & tributa: (a) Hinc in disquisitionem venit, an ne etiam ob præterita tributa conveniri possit? Quod omnino asserimus. (b)

a) *l. usufructu 7. §. hæcenus ff. de usufruct. l. fructus 13. Cod. de act. empt. l. quæro 28. de usufruct. legat. l. neq. stipendium 13. ff. de Impens. in res dot. fact. Quid verò si onus esset tanti valoris, ut absorberet totum usumfructum? Adhuc idem dicerem, modo vel aliqua superesset utilitas. argument. l. statua 41. & l. cum fructuarius 64. ff. de usufruct. (b) l. Imperatores. 7. ff. de publican. & vectigal. In tantum, ut ne quidem pacto contrarium in fraudem eius cui debentur tributa, effici posse putemus argu. l. inter debitorem 42. ff. de pact. l. fin. C. sine cens. vel reliqu. fund. comp. non posse.*

### XVII.

Ingens est quoque altercatio: An usufructuarius, cui omnium bonorum usufructus testamento est relictus, propter æs alienum defuncti testatoris conveniri possit? Nos heredem institutum, non verò usufructuarium conveniri debere arbitramur.

*L. final. C. de hereditar. act. l. ea qua. 6. C. Famil. Erciscund. l. 1. C. Si cert. pet. l. 2. C. de heredit. vel act. vend. l. pacto 26. C. de pact. ita tamen ut heres æs alienum ex bonis hereditariis deducere possit. l. ult. ff. de usufruct. leg. l. usufructu 69. ff. Ad L. Falcid. Eachin. lib. 4. controvers. iur. c. 19. Johan. del Castill. Sotomayor part. 1. tract. controvers. iur. quotid. c. 59. nu. 17. & seqq.*

### XVIII.

Amittitur & finitur (a) usufructus morte, (b) capitis diminutione, (c) non utendo per modum & tempus, (d) cessione, (e) (f) mutatione & interitu rei fructuariæ, (g) ac tandem existentiam temporis, ad quod usque usufructus constitutus est. (h)

a) *Cuiac. ad d. §. finitur lib. 3. sentent. Jul. Paul. t. 6. (b) l. 3. §. ult. quib. mod. usufruct. amit. §. finitur 3. Instit. de usufruct. l. 3. l. si domina 10. l. ambiguitatem 12. l. corruptionem 16. C. eod. Reipublicæ relictus centum annis durat. l. an usufructus 56. ff. de usufruct. l. si usufructus. 8. ff. de usufruct. legat. Aliud est in annuo legato reipublicæ relicto, quod perpetuo durat.*

B

durat.



durat, donec respublica ipsa finiatur. Clariss. Dn. D. Harpprecht. Præcept. colend. ad d. §. finitur. 3. Instit. hoc tit. nu. 7. per l. annuam 6. l. annua 20. in fin. & l. cum quidam 23. ff. de ann. legat. Johan. del Castillo Sotom part. 1. controvers. iur. quotid. c. 61. num. 20 (c) maximâ & mediâ. d. §. finitur l. corruptionem 16. §. ult. C. de usufr. (d) d. §. finitur ibi non utendo per modum & temp. fac. l. si communem 10. §. 1. l. is cui. 11. in princ. l. si quis aliâ. 18. ff. quemadm. servit. amitt. l. is qui usumfructum 20. l. placet 25. l. Pomponius 29. ff. quib. modis usufr. amitt. An verò etiam adhuc hodie solâ negligentia non utentis amittatur ususfructus absq. ullâ alterius usucapione, dubium ac controversum facit Johan. del Castell. Sotomayor d. part. 1. controvers. iur. quotid. c. 67. num. 9. & seqq. qui secutus Carol. Molin. id negat propter l. corruptionem 16. §. 1. ibi. Nisi talis exceptio usufructuario opponatur, quæ etiam si dominium vindicaret, posset eum presentem vel absentem excludere C. de usufruct. Verùm utriq. solidissimè satisfactum putamus à Clariss. Dn. D. Harpprecht Præc. venerand. ad d. §. finitur. nu. 30. 31. 32. & 33. (e) d. §. finitur. l. si ususfructus 66. de iure dot. l. 1. circa princ. C. commun. de manumiss. (f) d. §. finitur. l. si tibi 17. l. si servus 27. ff. quib. mod. usufruct. amit. (g) d. §. finitur vers. eò amplius l. repeti 5. §. rei mutatione & §. seq. l. quid tamen 10. §. non tantum. §. agri, §. certè, §. si massæ & §. seqq. l. si cui 12. l. si ager 23. l. cum usumfructum 24. l. pen. & ult. ff. d. tit. (h) l. & puto 16. §. ususfructus. ff. Famil. Erisc. iunct. §. præterea Inst. quib. mod. tut. fin.

## X I X.

De eo variant Dd. An propter cessionem extraneo factam ususfructus amittatur? Et non amitti verisimiliter defendi posse videtur.

Nam apertè diversum constituit Imperator in cessione ab usufructuario factâ domino proprietatis, & in cessione extraneo factâ: ibi finiri ait usumfructum, hîc nihil agi. Unde coniectura capi potest, quasi nec sententia fuerit Justiniani utrâq. cessione finiri usumfructum. Alioquin cur distinxisset? Et hanc sententiam novissimè contra alios defendit. Johan. del Castillo Sotomayor d. part. 1. controvers. iur. quotid. cap. 69. nu. 22. ubi etiam. num. 25. respondet ad l. si ususfructus 66. de iure dot. propter quam plerique dissentiant.

## X X.

Colophonem imponat difficilis illa disceptatio: An usufructuarius ob deteriorationem rei fructuariæ usufructu privetur?

Nos



## De Usufructu.

9

Nos communi affirmantium sententiæ, ceu veriori adstipulamur.

*Per text. expressum in §. finitur, 3. Instit. h. tit. l. hoc amplius. 9. §. fin. de damn. infect. Plures rationes affert Clarissimus Dominus D. Bocer. Præses & Præceptor colend. class. 5. disput. 9. thes. 54. ad lit. B. & novissime Johan. del Castillo Sotomayor d. part. 1. tractat. controvers. iur. quotid. cap. 21. num. 10. Ad l. 1. §. utilius 5. ff. usufruct. quemadm. cav. quid dici queat in discursu videbimus. Nec etiam ob quamlibet etiam modicam deteriorationem usufructuarius usufructu suo privatur, ut ex aliis docet Joan. del Castell. Sotomayor d. loco. nu. 17.*

Δ Ο Ξ Α Θ Ε Ω.

F I N I S.









venio metallico in fundo feudali repte, nūm ptineant  
ad alium feudi directum, an v. ad vasallum. disp. 2. tit.  
Ha rīm nomine an fūco commodum fūis Regalis p. h. e. s.  
th. 14.  
v. fūm sūm an i. fūm g. rane o. c. e. t. r. e. p. o. s. s. i. s. d. i. s. p.  
3. coroll. 4.

---

01 A 6525

ULB Halle

3


002 935 813




12

1007









B.I.G.

Farbkarte #13



num *M*  
 RUCTUOSA  
 decerptarum,  
 S D V Æ.  
 S  
*na Maiestate*  
 PLISSIMO Jctor.  
 bing. Collegio.  
 RESIDIO  
 Jcti.  
 HEN-  
 OCCERI,  
 ORIS HUIUS  
 ELEBERRIMI, PLA-  
 um sanctionum Professoris emi-  
 tissimi, Consiliarij VVür-  
 ris in supremo Dica-  
 elissimi.  
*ratia ventilandas*  
 onit  
 us Lebtzelte-  
 & Respond.  
 in Auditorio Jctor.  
 SO  
 I N G ÆE,  
 orici VVerlini,  
 MDCXV.

